ELISABETH SCHONAUGIENSIS. GODEFRIDUS ADMONTENSIS. ANSELMUS CANTUARIENSIS. IVO CARNOTENSIS. INSTITUTA REGUM DE IMMUNITATE ET SACRILEGIO

4. Viertel 12. Jh. Seite 41r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36541
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Ex. facile cognoscitur. M. Redeamus ad considerationem uoluntatis. et reminiscamur quod consideramus uoluntatem scilicet beatitudinis. quicquid uelit non esse malum. sed esse bonum aliquid. antequam accipiat iusticiam. Unde consequitur quia cum deserit acceptam iusticiam si eadem essentia est quam prius erat. bonum est aliquid. quantum ad hoc quod est. quantum uero ad hoc quia iusticia non est in illa quam fuit. dicitur mala et iniusta. Nam si uelle deo simile esse malum esset. filius dei non uellet similis esse patri. Aut si uelle quas libet infimas uoluptates esset malum. mala dicetur uoluntas brutorum animalium. Sed nec uoluntas filii dei est mala. quia est iusta. nec uoluntas irrationalis mala dicitur quia non est iniusta. Unde sequitur nullam uoluntatem esse malum sed esse bonum. inquantum est quia opus dei est. nec nisi inquantum iniusta est mala esse. et quoniam nulla res mala dicitur nisi mala uoluntas aut propter malam uoluntatem. ut malus homo et mala actio. nichil est apertius. quam nullam rem esse malum. nec aliud esse malum. quam absentiam iusticie derelicte in uoluntate aut in aliqua re propter malam uoluntatem. Ex. Sic tua disputatio ueris et necessariis apertis rationibus concatenatur. ut nulla ratione quod dicis dissolui posse uideam. nisi quia uideo aliquid consequi. quod nec dici debere credo. nec quomodo non sint si uera sunt quod dicis non uideo. Nam si uelle esse simile deo. non nichil nec malum. sed quidda bonum est. non nisi ab eo a quo est omne quod est. habere potuit. Si ergo angelus non habuit quod non accepit. quod habuit ab illo accepit a quo habuit. Si ergo angelus non habuit quod non accepit. quod ille non dedit. Quare si habuit. uelle esse simile deo. ideo habuit quia deus dedit. M. Quid mirum si quemadmodum deus dicitur inducere in temptationem. quando non liberat de ea. ita fatemur eum dare uoluntatem malam non prohibendo eam cum potest. presertim cum potestas uolendi quidlibet non nisi ab illo sit. Ex. Hoc modo non uidetur esse inconueniens. M. Si ergo datio non est sine acceptione quemadmodum non in usitate dicitur dare et quia sponte concedit. et quia non approbando permittit. ita non incongrue accipere dicitur et quia concessa suscipit. et quia illicita presumit. Ex. Nec incongruum nec inusitatum mihi uidetur quod dicis. M. Quid ergo dicimus contra ueritatem si dicimus. cum diabolus uoluit quod non debuit. hoc illum et a deo accepisse quia deus permisit. et non accepisse quia ille non consensit. Ex. Nichil hic repugnare uidetur ueritati. M. Cum ergo diabolus conuertit uoluntatem ad quod non debuit. et ipsum uelle et ipsa conuersio fuit aliquid. et tamen non nisi a deo et de dei aliquid habuit. quoniam nec uelle aliquid nec mouere potuit. nisi illo permittente. qui facit omnes naturas substantiales et accidentales uniuersales et indiuiduas. Inquantum enim uoluntas et conuersio siue motus uoluntatis est aliquid. bonum est et dei est. Inquantum uero iusticia caret. sine qua esse non debet. non simpliciter malum sed aliquid malum est. et quod malum est non dei. sed uolentis siue mouentis uoluntatem est. Simplex quippe malum est iniusticia. quoniam non est aliud quam malum quod nichil est. Aliquid uero malum est iratura in qua est iniusticia quia est aliquid et aliud quam iniusticia quod malum et